

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

In die Festo Conversionis Pauli.

Textus extat, Act. 9. v. 1. -- 22.

EXORDIUM.

CUm Balaam filius Beor, in via esset, ad placitum regis Balac Israelitis maledicturus, Angelus Domini evaginato gladio ei resistebat, & ita labia ejus dirigebat, ut loco *maledictionis, benedictione* illos afficere teneretur, Num. 22. & 23.

Hanc historiam ad propositum nostrum applicabimus.

Novi Christiani in Damasco erant *spiritalis Israel Dei*, Gal. 6, 15. quos in peculium sibi elegerat, 1. Pet. 2, 9. ut Palaestinam caelestem occuparent, nempe regnum paratum à constitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Id *Infernali Balac* non arrisit: ideo Saulum ablegavit, ut non modo malediceret illis: sed & quoscunque invenisset hujus viae viros & mulieres prehenderet, & vinctos perduceret in Hierusalem. Hoc tanto zelo egit, ut continuo cum nonnullis sibi similibus in viam se dederit, adeo *spirans minarum & caedis*, quasi uno impetu omnes deglutire vellet.

Sed Dominus consilium ejus sanguinarium inhibuit. Sicut enim Angelus Domini Balaam stricto gladio restitit: Ita Christus fideles suos respiciens, fulgure ipsum de caelo prostravit iter facientem, ut cor ejus hoc ipso immutatum, & loco *maledictionis benedictionem* relinquere ille coactus fuerit. Hoc est, Christianis Damascenis non modo vim non intulit: sed & ipse Christianus factus, Jesum Nazarenum, quem ante

convitiatus & persecutus fuerat, publice confessus est, tanto cum zelo & suecessu, ut Judæos Damasci habitantes, valide convinceret, & ex scriptura probarit, illum esse promissum mundi Messiam & Salvatorem, uti pluribus ex prælecto textu audiemus.

Nos ad illum ipsum sine ulteriori præloquio accedemus, pro instituti ratione contemplaturi:

I. Ἀποστολοσύνην sive *notitiam nostri*.

II. Χριστοσύνην sive *notitiam Christi*.

J.J.

Exegetis.

Quod Patriarcha Jacobus, de filio suo natu minimo Benjamin dixit, quod lupus rapax sit, mane comessurus prædam, & vespere divisurus spolia, Gen. 49, 27. Id B. Lutherus in Commentario super Genesin explicat de Apostolo Paulo, qui è tribu Benjamin ortus fuit, ut ipse confitetur, Rom. 11. vers. 1. & *mane*, h. e. sub initium oviculas Christi persequutus est, disperfit & trucidavit: *vespere* vero, hoc est, post conversionem suam, divisit spolia, & tam verbis, quam literis Evangelium de Christo crucifixo propagavit, & abundantius cæteris omnibus laboravit, 1. Corinth. 15. vers. 10. ideo de adolescentulo Benjamin dicitur, quod regnet inter Reges exercituum, Psal. 68. v. 28.

A 72